

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 30

Domno et venerabili in Christo Hartuino abbatи et congregationibus ejus Stabulaus et Malmundarii. Ego Hertaldus et filius meus Leutbertus et nepos meus Climarus precatores existimus, ut possessionem quam genitor noster et genitrix ad monasterium Stabulaus tradidit in villa Chaystris et in alia villa que vocatur Chaunsindis et per testamentum delegaverunt, nobis usu fructuario per benefitium concedere dignaremini. Quod et vos pietatis causa peticioni nostre annuistis, et nobis dimisistis omni tempore vite nostre prefatas villas, ut quamdiu vixerimus liceat nobis eas habere et excolere, ea scilicet ratione ut quam diu contigerit eas nos habere pro eisdem censum annis singulis in festivitate sancti Martini in monasterio Stabulaus persolvamus; neque ullam potestatem habeamus easdem res, neque per amicos, neque per parentes, neque per dominos nostros, ullam diminutionem facere, sed ubicumque meliorare et augmentare poterimus studiose faciemus, et post nostrum decessum cum omni integritate sua nemine contradicente ad prefatam ecclesiam revertentur Facta est autem hec precaria publice in monasterio Stabulaus v kal. julii, anno III regnante domno Karolo rege. Signum domni abbatis qui hanc precariam fieri rogavit. S. Absalonis prepositi. S. Euerardi. S. Johannis. S. Bertoni. Ego Hartgarius Tungrensis ecclesie episcopus hanc prestariam recognovi et consensi. Ego Hernericus jussu domni Harnidi abbatis scripsi et subscrispsi.